

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Ad Locum V. De Lapsu Angelorum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

cupatus; postea in Hierarchia inferiore: potestates, Archangelos, Angelos. Hæc quis non videt, nihil esse, quam otiosas & futes hominum cogitationes?

Enarrat. in Genes. III. vers. ult.

AD LOCUM V.
DE LAPSU ANGELORUM.

Ad pag. 346. in fin. §. XV.

HUc pertinet *Diaboli* nomen, quod declarat *criminatorem*, *calumniatorem*. Hoc enim naturale seu proprium ejus officium est, ut omnia perdat, & pessime pervertat. *Calumniator* autem proprie est, qui bonam causam corrumpit, quod diabolus magistraliter potest. Quicquid Deus docet & præcipit, id omne pervertit & torquet, ut in Paradiso fecerat, ubi Deus Adamo & Evæ prohibuerat esum vetitæ arboris, impudenter dicebat: putatisne, quod Deus vobis interdixerit? Ex veritate mendacium & ex Deo diabolum faciebat. Ita in conscientia hominis agit. Si incipit in cor loqui, tam securam tibi facit conscientiam, ac si nullum peccatum per omnes vitæ tuæ dies perpetrasses. Ita Augustæ in Comitibus agebat cum Episcopis suis & Principibus. Inprimis autem id facit, quando instat, & peccata homini exprobrat, tum vere juxta nomen suum agit, doctrinam & vitam ita pervertet, calumniatur & annihilat, ut doleas, eam doctrinam unquam audivisse. Hæc ejus astutia est diabolica, & actio, hocque ejus est officium, ut optima in pessimam partem torqueat.

Tom. V. Alt. Conc. 1. de Angel. pag. 596. b.

Ad pag. 353. §. XIX. fin.

De fascino corporali & spiritali.

Paulus appellando Galatas insensatos & fasci-natos, comparat pueris, quibus maxime nocet fascinum. Quid vobis perinde

d 2

acci-

accidit ac pueris, quos veneficæ, lamiæ & striges suis fasciis, ludibrio Satanæ libenter & facile incantare solent. Infra Cap 5. recenset inter opera carnis veneficium, quod est species fascini. Per quod satis testatur, fascinum esse aliquid, & posse fieri. Deinde negari non potest, quin diabolus vivat, imo regnet in toto mundo. Sunt igitur fascinum & veneficia opera diaboli, quibus non solum nocet hominibus, sed, permittente Deo, quandoque eos etiam occidit. Insuper nos omnes corporibus & rebus subjecti diabolo, & hospites sumus in mundo, cujus ipse Princeps & Deus est. Ideo panis, quem edimus, potus, quem bibimus, vestes, quibus utimur, imo aër, & totum, quo vivimus in carne, sub ipsius Imperio est. Potest igitur per suas veneficas nocere pueris, vel angustia cordis, vel excæcare, vel furari, vel in totum auferre puerum, seque in locum ablati pueri in cunas collocare. Ego audiui quendam puerum fuisse in Saxonia, qui suxit quinque mulieres, & tamen non potuit expleri. Et huiusmodi exempla sunt multa.

Est autem fascinum nihil aliud, quam machinatio & illusio diaboli, qui potest, ut fertur, membrum, quod in puero aut fene præstigiis suis vitiavit, rursus sanare. Sed sic fere sanat, quod oculum aut aliud membrum læsum restituat, non quod læsum fuerit, sed quod ita ludificatur sensus, tum eorum, quos fascinauit, tum aliorum, qui vident fascinosos, ut non judicent esse illusionem, sed jurent esse veram læsionem. Quia vero suo tempore læsionem removet, apparet tantum fuisse illusionem, non veram læsionem; quia vera læsio non potest recuperari aut restitui. Habes huius rei insigne exemplum in vitis Patrum, præter Metamorphoses illas Poëtarum. Ad S. *Macarium*, habitantem in deserto, venerunt parentes cujusdam virginis, quam amiserant, sic tamen, quod putarent eam in vaccam esse conversam, quia non poterant aliam quam vaccæ formam videre. Adducentes igitur filiam ad S. *Macarium*, rogabant orationem

ab

ab ipso ad Deum fieri pro ea, ut restitueretur ei humana forma. Hoc audiens *Macarius*, inquit, virginem video, non vaccam. Habebat oculos spirituales, ideo Satan non poterat eum præstigiis suis fallere, ut parentes & filiam, quorum oculos sic illuserat spiritus nequam, quod jurassent vere hoc geri, quod ipsis fascinati ob oculos versabatur. Orante autem *S. Macario* pro virgine, non ut humanam speciem, quam nunquam amiserat, reciperet, sed ut Deus hanc illusionem diaboli ab ea auferret, aperti sunt oculi parentum & filiae, cognoveruntque hoc totum, quod ipsis videbatur serio geri, merum ludibrium Satanæ fuisse.

Tanta est astutia & potentia Satanæ ludificandi sensus. Et quid mirum? cum per vitrum fiat mutatio sensus & coloris. Facillime igitur ludit præstigiis suis hominem, ut existimet se videre aliquid, quod tamen non videt, audire vocem, tonitru, fistulam, vel tubam quam tamen non audit. Sic milites *Julii Caesaris* putabant se audire quendam arundine & tuba canere &c. Ejus rei meminit *Suetonius* in vita Cæsaris. Quidam, inquit, eximia magnitudine & forma, in proximo sedens, repente apparuit arundine canens. Ad quem audiendum, cum præter pastores, plurimi & stationibus milites atque aliquot æneatores concurrissent, rapta à quodam tuba, profiluit ad flumen, & ingenti spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam, &c. Potest igitur Satan egregie perstringere omnes sensus, ut jures te videre, audire, tangere aliquid, quod tamen non vides &c.

Non solum autem hoc crasso modo sed etiam subtiliore, eoque magis periculoso, dementat homines, & ibi præcipue est optimus artifex. Atque hinc Paulus fascinum sensuum applicat ad fascinum spiritus. Illo autem spirituali fascino non sensus, sed mentes hominum serpens ille antiquus capit, & fallit falsis & impiis hominibus, quas hoc modo capti pro veris & piis apprehendunt. Quod autem hoc præstare possit, satis ostendit hodie in fanaticis hominibus, Anabaptistis, & spiritibus in Sacra-

mentum corporis & sanguinis Christi blasphemis. Horum mentes suo ludibrio ita fascinavit, ut mendacia, errores & horribiles tenebras pro certissima veritate & clarissima luce amplectantur. Nec ab his suis somniis patiuntur se ullis monitis aut Scripturis abduci, quia persuasissimi sunt se solos sapere & pie sentire de rebus sacris, alios omnes cæcutire. Perinde igitur faciunt atque parentes virginis, qui capti Satanæ præstigiis adeo persuasi erant, ut jurassent filiam suam non hominem sed bovem esse, nihilque minus credere poterant, quam hoc esse præstigium & illusionem diaboli; habebant enim pro se testimonium omnium sensuum: oculi videbant formam bovis, aures audiebant vocem bovis &c. Contra communem autem sensum non putabant esse pugnandum. Sed pugnandum esse in fascino corporali contra sensum communem, ostendit hoc exemplum *Macarii*: multo magis idem faciendum est in fascino spirituali, ubi diabolus, quod foris cum speciebus & coloribus in sensu, hoc intus cum opinionibus verisimilibus & objectis doctrinæ facit, quibus, sic dementat corda hominum, ut jurent sua vanissima & impiissima somnia, esse certissimam veritatem. Hoc modo fascinavit nostro tempore *Müntzerum, Cinglium* & alios, per quos alios innumerabiles fascinavit. Deinde tanta est istius fascinantis nocendi cupido, ut non solum illis spiritibus securis & superbis imponat præstigiis suis, sed conetur eos etiam, qui pie & recte de verbo Dei & Christiana religione sentiunt, suis ludibriis dementare. Me ipsum sæpe numero tam fortiter invadit, & adeo tristibus cogitationibus obruit, ut prorsus mihi Christum obscuret, ac pene auferat. Summa, nemo nostrum est, qui non sæpius falsis opinionibus fascinetur, hoc est, qui non timeat, fidat, aut lætetur, ubi non erat timendum, fidendum, lætandum, qui quandoque non aliter sentiat de Deo, de Christo, de fide, de vocatione sua, de statu Christiano &c. quam sentire debeat. Discamus igitur illusiones & astutias istius fascinantis agnosce-

re,

re, ne securos & stertentes inveniens, suis præstigiis nos fallat. - Itaque nemo putet solos Galatas fascinatos fuisse à Satana, sed quisque cogitet se potuisse & adhuc posse fascinari ab eo. Nemo nostrum tam robustus est, qui possit ei resistere, præsertim si hoc conetur facere propriis viribus. *Hiob*, homo simplex & rectus erat, timens Deum, nec erat ei similis in terra, sed quid potuit contra diabolum, subtrahente Deo manum? Nonne horribiliter vir iste sanctus ruit? Ideo fascinator ille non tantum potens fuit in Galatis, sed semper hoc agit, ut si non omnibus hominibus, tamen multis, imponat falsis persuasionibus, quia mendax est, & ejus rei pater.

Ut impossibile est, quod homo sese expediat ex fascino sensuum: ita impossibile est, quod fascinati in spiritu, se viribus suis evolvere possint, nisi explicentur ab iis, quorum mentes isto fascino non sunt captæ. Tanta enim est efficacia illusionis Satanæ in illis, qui ita delusi sunt, ut jactent & jurent se certissimam veritatem habere, tantum abest, ut fateantur se errare. Et ut maxime obruamus, & convincamus quosdam, præsertim sectarum autores, Scripturis, tamen nihil efficimus, quia statim in promptu habent suas glossas, quibus Scripturas eludunt. Itaque monitis nostris non emendantur, sed plus indurescunt. Nunquam autem credidissem, nisi hodie experientia hoc discerem, tantam esse potentiam diaboli, quod posset facere mendacium tam verisimile. Deinde quod horribilius est, cum perturbatas conscientias nimia tristitia enecare, vult, quod tam proprie & perfecte se norit transformare in figuram Christi, ut impossibile sit tentato hoc animadvertere. Hinc multi ignorantes hoc, adiguntur in desperationem, ac sibi ipsis mortem consciscunt. Ita enim dementati sunt à diabolo, ut persuasi sint certissimam veritatem esse, se non à diabolo, sed ab ipso Christo tentari & accusari.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 63, b. 64. 65.

Ad